

Te deum laudámus : *
te Dóminum confitémur.
Te ætérnum Patrem : *
 omnis terra venerátur.
Tibi omnes ángeli : *
 tibi cœli, et univérsæ potestátes.
Tibi Chérubim et Séraphim : *
 incessábili voce proclámant:
Sanctus, Sanctus, *
 Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cœli et terra *
 majestátis glóriæ tuæ.
Te gloriósus * Apostolórum chorus.
Te prophetárum * laudábilis númerus.
Te Mártyrum candidátus * láudat exércitus.
Te per orbem terrárum, *
 sancta confitétur Ecclésia.
Patrem * imménsæ majestátis.
Venerándum tuum verum, *
 et únicum Fílium.
Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ, * Christe.
Tu Patris * sempitérnus es Fílius.
Tu ad liberándum susceptúrus hóminem : *
 non horruísti Vírginis úterum.
Tu devícto mortis acúleo : *
 aperuísti credéntibus regna cœlórum.

Tu ad dēxteram Dei sedes * in glória Patris.
Judex * créderis esse ventúrus.
Te ergo, quáesumus, tuis fámulis súbveni : *
 quos pretiósó Sáanguine redemísti.
Æterna fac cum Sanctis tuis *
 in glória numerári.
Salvum fac pópulum tuum, Dómine : *
 et bédedic hæreditáti tuæ.
Et rege eos : *
 et extólle illos usque in ætérnum.
Per síngulos dies, * bédedicimus te.
Et laudámus nomen tuum in sæculum : *
 et in sæculum sæculi.
Dignáre, Dómine, die isto, *
 sine peccáto nos custodíre.
Miserére nóstri, Dómine : * miserére nóstri.
Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : *
 quemádmódu sperávimus in te.
In te, Dómine, sperávi, *
 non confúndar in ætérnum.